Lichenes,
collecti in republica Argentina a Doctoribus Lorentz et Hieronymus,

determinati et descripti a Doct. A. de Krempelhuber, Monacensi.

(Continuatio.)

28. *Parmelia leucopis* Krph. sp. n.

Thallus albicans, membranaceus, irregulariter sinuato-laciniatus et dilatatus, lat. circ. 6 mm., superficie eximie rugulosa, subtus fuscus vel fuscescens, fibrillosus; apothecia numerosa, sparsa, aut hinc inde conferta, primum clausa, dein urceolato-scutellata, plerumque convoluta vel flexuosa, disco hepatico, excipulo striato-ruguloso, margine involuto, tenuiter crenulato; sporae octonae, ellipsoideae, hyalinae, endosporio a limbo latiusculo cincto, majusculae, long. 0,019—022, crass. 0,013—017 mm. —

Color medullae denudatae nec hydr. Kalic. nec hypochl. calc. mutatur.

Ad cortices (Unicum! in collectione Lorentziana).

Species, thallo suo albicante et eximie rugoso, sporis majoribus et apotheciis convolutis, dein excipulo apothecii extus tenuiter striato-ruguloso ab affinibus non difficile distinguenda. Ulterius inquirenda.

29. *Parmelia Uruguensis* Krph. sp. n.; *P. Cordovana* Krph. olim.

Thallus frondosus, membranaceus, cinerascens, opacus, minor (lat. circ. 1—2 pollicaris), sinuato-lobatus, loborum marginibus crenato-incisis, undulatis, adscendentibus, saepe sorediatis, subtus tenuiter subreticulato-rugulosus, versus ambitum plerumque pallidus, nudus, versus centrum nigrum vel fusco-nigrum et ibi marginesque thalli passim setulis aut fibrillis brevibus atris laxe consiti; apothecia dispersa, excipulo protracto, subpedicellato, infundibuliformia vel cupularia mediocria, disco hepatico, medio pertuso, margine excipuli setulis nigris ciliato et saepe inflexo; sporae 8 nae, ellipsoideae, simplices, hyalinae, long. 0,009—010, crass. 0,006—007 mm.; hymenium valde angustum.

Ad ramos ramulosque arborum et virgultorum circa urbes Cordovam et Concepion, frequens.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0463-1

Species *Parmeliae hypotropae* Nyl. Syn. meth. p. 378 similis, a qua thallo nonnihil crassiore, cinereo (non albido), margine crenato-inciso (non crenato-dentato), undulato, supra opaco, subtus fibrillis nigris brevibus laxe dispositis, consito, tandem reactione chemica differt.

Nam in *P. Urugensi* nostra color medullae (albissimae) nec hydrate Kalico, nec hypochlorite calcico mutatur, in *P. hypotropa* Nyl. autem medulla denudata hydrate Kalico ex aurantiaco rubescit.

Fibillae (rhizinae) illae, thallum *Parm. Cordov.* subtus laxe passim vestientes (indumentum densum non formantes) saepe furcatae.

30. *Parmelia latissima* Fée Ess. Supplem. p. 119, tab. 38, fig. 4 (non Nylander).

Thallus membranaceus, albidus vel albo-glaucescens, opacus, orbiculariter expansus, amplissimus (diam. usque ad 20 Centimet.), superficie undulata et plicata (raro laevi), ambitu grosse inciso-lobatus, lobis latioribus rotundatis, marginibus ample et obtuse crenatis, subtus per maximam partem niger, glaber vel asper, tantum hinc inde rhizinis brevibus et obsoletis consitus, versus ambitum vero limbo angusto omnino nudo, badio, (castaneo), subnitido; apothecia plerumque pedunculata, ampla (lat. usque ad 2,5 centimet.), saepe margine integro involuto (ita, ut apothecium convolutum appareat), disco fusco-rufo vel fusco, raro explanato, excipulum laeve vel non nihil rugulosum; sporae 8nae, magnae, (in speciminibus his Argentinis) long. 0,026—030, crass. 0,014—016 mm., hyalinae, simplices, episporio (endosporium fere aequaliter latum cingente) amplo.

Thalli superficies hydrate Kalico luteo-virens.

Cienega, Rio negro, inter Oran et S. Andrés, ad truncos arborum, ubi a Doct. Lorentz specimina egregia et numerosa (etiam nonnulla large fructifera) lecta sunt.

Species ab affini *Parmelia glaberrima* Krph. magnitudine insigni thalli [1]) et apotheciorum, inprimis vero reactione chemica differens.

Itaque affirmare liceat, animadversionem D. Nylanderi

[1]) Nihilo minus haec species forsan non adtingat diametrum maximum apud *Parmelias hucusque* notum; nam mensi sumus olim in sylvis germanicis ad truncos grandes fagi specimina *Parmeliae perlatae* a diametro usque ad 1¹/₂ pedes lata.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0464-6

in Flora 1875, pag. 448, *Parmeliam glaberrimam* Krph. eandem rem esse, ac *Parmelia latissima* Fée, et *Parmeliam saccatilobam* Tayl. propriam sistere speciem non probatam esse, plane voluntaria videtur, eamque refutamus.

Differentiae inter *Parmeliam latissimam*, *P. glaberrimam* et *P. saccatilobam* a D. Nylander, qui judicium suum de his speciebus pluries mutavit, hucusque diagnosibus, notis firmis et essentialibus fundatis, nondum satis illustratae sunt.

Nemo adhuc vidit, thallum *Parmeliae latissimae* Fée verae hydrate Kalico rubescere, quod vero constanter observavimus in thallo *Parmeliae glaberrimae* Krph. lichenis, celeberrimo Nylandero, ut videtur, adhuc non satis noti.

var. *subrugata* Nyl.

Excipulo apotheciorum plicato aut interdum eximie rugoso, immo clathrato-scrobiculoso.

Cum typo.

var. *corniculata* Krph.

Loborum marginibus corniculose vel vario modo fissa; apothecia ut in var. *subrugata*.

Varietas *corniculata* Krph. *Parmeliae perforatae* Ach. est analoga forma.

Caeterum historiae naturali Parmeliarum adhuc multa adhaerent dubiosa, praesertim quoad species, temporibus novissimis ut novae propositas, et quidem, ut putamus, ex ea causa, quod auctores recentiores saepe de his novis dederunt diagnoses nimis breves et incompletas (immo nonnunquam tantum nomina) et ad recognitionem certam harum plantarum, quoad formam thalli apotheciorumque, ut notum est, variabilium, non semper sufficientes, quod valet etiam quoad alia genera lichenum inprimis exoticorum. Hoc autem non mirum; nam talis diagnosis saepe tantum in unico specimine, idque non semper bono, fundata est, respicit itaque saepe solum formam illam, quam auctor habuit ante oculos, non vero complexum formarum totum speciei; quae omnia pendent etiam a nisu infinito hodierum auctorum, tam multas species novas, quam possibile sit, detegendi et describendi. At illa tam multa jam detecta recte construere, in commodum scientiae acurate describere, saepissime videntur negligere. Et hoc certe non ex usu scientiae.

Nam chaos ingens jam jam creatum est in lichenographia, ingens accumulatio inordinata specierum novarum, non

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0465-2

raro tantum notis levibus et dubiis inter se distinctarum.

Augetur synoymia lichenum periculoso modo, quia auctores plerumque negligunt perscrutare, an lichen ab iis ut novus descriptus, non ab alio lichenologo jam denominatus et descriptus sit.

Quae omnia absterrentia botanicis omnibus, studio lichenologico non speciatim inhaerentibus, taediosa et fatigantia lichenologis veris. —

31. *Parmelia versiformis* Krph. sp. n.

Thallus sordide albidus, membranaceus, opacus, irregulariter laciniatus et dilatatus, superficie inaequali et asperula, lat. circ. 5—8 centimet., subtus fuscescens, rhizinis brevibus parce consitus, laciniis thalli rotundatis, inciso-crenatis, saepe flexuosis et complicatis; apothecia numerosa, sparsa aut hinc inde conferta, primum clausa, dein dilatata, plerumque eximie flexuosa et complicata, disco hepatico, excipulo insigne rugoso, margine integro; sporae 8 nae, ellipsoideae, hyalinae, long. 0,017—019, crass. 0,011—013 mm., endosporium ab episporio latiusculo (fere ut in sporis *Parm. latissimae* Fée) cinctum; medulla thalli denudata hydrate Kalico intense et constanter rubescit.

Ad cortices.

Sine dubio species bona, praesertim apotheciis flexuosis et convolutis, sicut et thallo irregulariter laciniato ab congeneribus differens. Superficies thalli interdum passim excrescentiis minutis, foliola parva inciso-crenata sistentibus, obtecta.

(Continuatur.)

Personalnachricht.

Dr. Kerner ist zum Prof. der system. Botanik und zum Director des bot. Gartens in Wien ernannt worden.

Redacteur: Dr. **Singer.** Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei (F. Huber) in Regensburg.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0466-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1878

Band/Volume: 61

Autor(en)/Author(s): Krempelhuber August von

Artikel/Article: Lichenes, colleciti in republica Argentina a Doctoribus Lorentz et Hieronymus 461-464